









INSTITUTIONE IN ANATOMIA MEDICA

MODI PLURIMI  
IN XTA REGULAS  
ARTIS NASCANTUR

PERITUM MAGNIFICENTISSIMO

FRANCISCO ALEXANDRE JC

DOMINO

FRANCISCO CAROLO

FRANCISCO HOFFMANNO

STABILI MEDICI ET DECANO

PRODOCTORIS CRADY

STREIT DEHNERT

ANNO 1715

CHRISTIANUS

1715

FRANCISCO HOFFMANNO

FRANCISCO HOFFMANNO





*G. 19. num. 11. 217*

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS

DE

**JURAMENTO**

**COMPENSATIONEM  
NON EXCLUDENTE,**

*QUAM,*

DEO T.O.M. ADNUENTE,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**DOMINO CAROLO,**

PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRANDENBURGICO, CETERA,

IN ILLUSTRIS ACADEMIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

**JACOBO FRIDERICO LUDOVICI,**

JCTO, POTENTISS. REGIS BORUSS. CONSIL. AULICO

ET PROF. PUBL. ORDINARIO,

**PRO LICENTIA,**

Summos in utroque jure honores & privilegia Doctoralia

rite adipiscendi,

*ad d. Septembr. MDCCXVII. H. L. Q. C.*

placido eruditorum examini submittit

**GERARDUS RÖSING,**

WEHN. FRIS. OR.

HALAE MAGDEBURGICAE,

Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.



DISSERTATIO JURIDICA IN AUCTUALIS  
DE  
JURAMENTO  
COMPENSATIONEM

DEO  
ET  
PATRIÆ.

UNIVERSITÄT  
ZÜRICH

PRO FIDEI WITIA  
GERARDUS RÖSING







DISSERTATIO IURIDICA INAUGURALIS

DE

JURAMENTO COMPENSA-  
TIONEM NON EXCLUDEN-  
TE.

CONTENTA TOTIUS DISSERTATIONIS.

**O**ccasio presentis disputationis, §. I. premissa quedam generalia. Juramenti essentialis est invocatio nominis divini, §. II. explicitum juramentum sine omni dubio hic pertinet, quaeritur ergo solum: utrum de implicito nobis etiam sermo sit? formulae quaedam juramentorum implicitorum, §. III. juramentum judiciale semper explicitum esse debet, extrajudiciale vero, de quo nobis principaliter sermo, interdum implicitum est, §. IV. obtestationes & execrationes, item contestationes non habent vim juramenti impliciti, nec formulae: per Deum, per anime salutem, loco juramenti. Adseverationes interdum illam vim habent, scilicet extra Saxoniam, §. V. de formula: per veritatem eternam, bey dem Wort der ewigen Wahrheit, §. VI. Transitus ad expositionem vocabuli: compensationis. Compensatio est facta solutio. Adducitur casus singularis materiam hanc illustrans, §. VII. questio principalis: an juramentum compensationem excludat? duo casus sunt separandi. Primus, si tempore praestiti juramenti mutuum debitum nondum adsuit, secundus, si eo tempore jam adsuit, §. IIX.

A 2

de

#### 4. CONTENTA TOTIUS DISSERTATIONIS.

de primo casu non est questio in presenti, sed de secundo saltem, §. IX. nos secundo casu compensationi aequae locum esse statuimus, quam primo, §. X. adducuntur argumenta pro stabilienda nostra sententia ex textibus juris civilis, §. XI. fictio in casu ficto idem operatur, quod veritas in casu vero, §. XII. creditori exceptionem compensationis admittere nolenti opponitur illud: tua non interest, §. XIII. secundum jus naturae juramentum non mutat naturam actus, cui adjicitur, sed illius naturam sequitur, §. XIV. eadem regula in jure Romano, & in specie in pandectis traditur, §. XV. jus codicis ab hac regula aliquo modo jam deflectit, ubi in specie de auth. sacramenta puberum. C. si aduers. vendit. §. XVI. applicantur recensita principia ad praesentem statum controversiae, §. XVII. ordines Frisiae auth. sacramenta puberum. C. si aduers. vendit. plane derogarunt, Notariiisque prohibuerunt sub poena, ne super ejusmodi actibus renunciationum instrumenta conficiant. Verba statutorum Frisicorum inferuntur, §. XVIII. de brocardico juris canonici: omne juramentum seruandum esse, quod citra dispendium salutis aeternae seruari potest, §. XIX. doctrina juris canonici in materia de jurejurando misere cohaeret, quod ostenditur ex cap. 27. X. de jurejur. §. XX. item ex c. 25. X. eod. §. XXI. porro ex c. 8. X. eod. §. XXII. hoc uberius ostenditur §. XXIII. progressus sit ad argumenta dissentientium eorumque refutationem. Magnus dissentientium numerus, §. XXIV. primum dissentientium argumentum cum responsione ad illud, §. XXV. argumentum secundum, §. XXVI. tertium, §. XXVII. quartum, §. XXVIII. quintum, §. XXIX. sextum, §. XXX. septimum, §. XXXI. octauum, §. XXXII. nonum, XXXIII. decimum, §. XXXIV. argumentum undecimum, §. XXXV. duodecimum, §. XXXVI. decimum tertium, §. XXXVII. decimum quartum, §. XXXVIII. decimum quintum, §. XXXIX. decimum sextum, §. XL. decimum septimum & ultimum, §. XLI. Seraphinus pleraque haec argumenta tamquam insufficientia & irrelevantia ipse rejicit & nihilominus tamen in castra dissentientium

rium transit, Misera ratio, qua utitur, §. XLII. variae limitationes, quas dissentientes regule suae subnectunt, quae totam regulam evertunt, §. XLIII. limitatio prima, cujus absurditas ostenditur, §. XLIV. limitatio secunda, quae iterum absurda. Limitatio tertia, de qua non disputatur, §. XLV. limitatio quarta, quae totam regulam evertit. Limitatio quinta, quae absurda, §. XLVI. limitatio sexta, quae dubia. Limitatio septima, quae admodum misera, §. XLVII. limitatio octava, nona & decima, §. XLVIII. Limitatio undecima, quae totam regulam destruit: duodecima, quae superflua: decima tertia, §. XLIX. communis opinio non est genuinum fundamentum decidendarum controversiarum, §. L. nostra sententia in hac dissertatione defensa non est singularis, sed multorum veteranorum & recentiorum auctoritate stipata, §. LI. de quaestione: quenam sententia in praxi sequenda? conclusio dissertationis, §. LII.

§. I.



De quaestione: an iuramentum compensationem excludat? jam ante quidem egit Dn. Praeses in disputatione de genuino intellectu brocardici vulgaris: omne iuramentum seruandum esse, quod salua salute aeterna seruari potest, & negatiuam defendit; verum enim-

uero cum paucis id solummodo tunc temporis factum, & nonnulli, in specie autem Seraphinus de Seraphinis in tractatu, quem de priuilegiis iuramentorum inscribit, conquisitis rationibus adfirmatiuam tueri nitantur: digna visa fuit materia, quae in peculiari disputatione ulterius discuteretur.

## §. II.

Integram materiam de juramentis & compensatio-  
nibus pertractare, nec animus est, nec instituti ratio po-  
fcit. Nobis itaque sufficere poterit, modo generalia  
quædam præmittamus, quæ in pertractatione præsen-  
tis thematis necessario supponi debent. Primum est,  
quod essentiale juramenti sit inuocatio nominis diuini,  
unde vulgata juramenti descriptio nata, juramentum esse  
religiosam rei alicujus adseuerationem, in cuius ma-  
jorem fidem Deus ut testis & vindex inuocatur, de qua  
Grotius de J. B. & P. l. 2, c. 13. §. 10.

## §. III.

Porro, quoniam juramentum inter alia in *impli-  
citurum & explicitum* diuiditur: præmittendum erit, de qua-  
nam specie hic nobis sermo sit. De explicito, quin hoc  
pertineat, nullum dubium subest, & ergo de implicito so-  
lum queritur, quando aliquid adferitur *per Deum, per ani-  
mæ salutem, per veritatem æternam, vel loco juramenti*, item  
quando quis *obrestationibus, execrationibus & similibus* uti-  
tur. Hic vero generaliter rem definire non possumus,  
sed de diuersis formulis distincte agendum erit.

## §. IV.

Imo etiam diuisio juramenti in *judiciale & extrajudi-  
ciale* omitti non debet. Adplicatio hæc est. Juramen-  
tum judiciale semper debet esse explicitum, scilicet sub  
formula consueta: *So wahr mir Gott helffe*, concep-  
tum, Extrajudiciale vero certo modo implicitum esse  
potest, & de hoc in præsentī principaliter nobis agendum  
erit, cum si non omnia, pleraque tamen chirographa extra-  
judicialiter conficiantur iisdemque clausula juratoria in-  
feratur. Videamus ergo nunc de formulis in §. præced.  
adductis. §. V.

## §. V.

Quod obtestationes, contestationes, & execrationes adtinet: ea in foro vim juramenti non habent & ergo in rubrica dissertationis sub verbo *juramenti* non comprehenduntur. Idem sentiendum de formulis *per Deum, per animæ salutem, loco juramenti, an Cydes stat.* Sed quid de adseuerationibus nudis, v. g. intuitu illustrium, bey Fürstlichen wahren Worten, Treu und Glauben, bey Adlichen Treuen, bey Cavaliers-parole, &c. intuitu hominum priuatorum, so wahr ich ein ehrlicher Mann, eine ehrlische Frau bin, &c. an illæ juramenti in foro æquipollent? distinguunt DD. Adseuerationes principum & illustrium personarum vim juramentorum habent intuitu obligationis, non autem intuitu poenæ perjurii, excepta Saxoniam electorali juxta Carpz. p. 2. c. 16. def. 5. sed vero priuatorum adseuerationes nullum peculiarem effectum produciunt, conf. illustr. Thomafius in *jurispr. diuin. l. 2. c. 9. §. 65. seqq.* Gail. 2. *obs.* 59. Hartmann. l. 2. tit. 30. *obs.* 3. num. 8. Rutger Rulant de *commiss.* p. 2. l. 2. c. 11. num. 32. Dn. Praefes *us. pract. distinct. tit. ff. de jurejur. dist.* 13. 14. 15.

## §. VI.

Restat formula: per veritatem æternam, bey dem Wort der ewigen Wahrheit. Sigismundus Finckelthuis in *obs. pract. obs.* 116. formulam illam veri juramenti vim in promissionibus & renunciationibus habere dicit, atque ita Facultatem juridicam Lipsiensem pronunciaffe testatur. Ex diuerso Benedictus Carpzouius p. 2. c. 16. def. 6. dissentit eo casu, quando mulier pro aliquo indercedit & juri suo renunciat, atque ita Scabinos Lipsienses pronunciaffe adserit. Dissentit autem *loc. cit. num.* 14. ex hoc fundamento, quia renunciatio mulieris solemne juramentum requirit,

*quiri*, quod ex *const. elect. 16. part. 2.* probare nititur. Quamvis vero hoc prætenſum fundamentum ex *civ. const.* probari nequeat, cum in illa locutiones generales: *Eydsleistung, mit dem Eyde renunciren*, ſolum reperiuntur, & ſic Carpzouius id petierit, quod in principio eſt; nihilominus tamen in *decif. elect. nouiff. 22.* Carpzouii ſententia adprobata fuit, eo ſcilicet caſu, *quando uxor pro marito intercedit & juri ſuo renunciat*, prout verba ſonant: *So ordnen, ſegen und wollen Wir, daß hinführo die renunciationes, verzigte und dergleichen von denen Weibſperſohnen, ſo ſie ratione dotis & donationis propter nuptias, vel dotalitii, vor ihre Männer leiſten, ander geſtalt nicht, als durch einen Cörperlichen Eyd mit denen Worten: ſo wahr mir Gott helffe und ſein heiliges Wort, Gerichtlichen und zwar auff vorhergehende gnugſame Erinnerung und certioration, was ihre Verzicht und weibliche Gerechtigkeit, und das beneficium S<sup>C</sup>i Vellejani in ſich habe, und wie es verſtanden werde, in Beyſeyn ihrer Kriegiſchen Vormunden, nebenſt gebühlicher Verwarnung geſchehen, und anders nicht gehalten werden ſolle.* Ergo formula adducta: *Bei dem Wort der ewigen Wahrheit*, in Saxonia electorali hodie non habet vim juramenti eo unico caſu, bene tamen in aliis caſibus, exceptio enim firmat regulam in caſibus non exceptis; extra electoratum vero dicta formula in omnibus caſibus vim juramenti retinet, atque ideo etiam in rubrica noſtra: *diſſertationis ſub voce juramenti comprehenditur*, conf. *Zanger. de except. part. 3. c. 11. num. 193.* *Rauchbar. part. 2. qu. 2. num. 57.* *Coler. de proc. exec. p. 1. cap. 10. n. 286.* *Consentit Facultas juridica & Scabina-tus Halenſis, cujus utriusque collegii reſponſa cum ratio-nibus*

nibus reperiuntur in B. Strykii usu modern. ff. tit. ad Sc. Vel-  
lejan. §. 10 & 12.

## §. VII.

Hæc de vocabulo *juramenti* nobis sufficere poterunt. Occurrit porro in rubrica dissertationis vocabulum *compensationis*. De hac compensatione id solummodo præmittimus, quod illa etiam juxta Germanorum paræmiam: *abrechnen ist gut Bezahlen*, sit ficta solutio per breuem manum facta, l. i. 2. 3. ff. de *compensat.* Inseram hic sententiam in clytæ Facultatis juridicæ in alma hac Fridericiana a Dn. Præside mihi communicatam, quæ casum singularem decidit & præsentem materiam non parum illustrabit. D. bona aliqua immobilia vendiderat E. mox tamen post celebratam venditionem bonis cesserat. Creditrix W. putabat, hunc contractum mere simulatum esse, & hinc emtori E. inter alia etiam super hoc puncto: utrum ille pretium emtionis actu & vere (*baar*) exsoluerit? jusjurandum defererebat. E. fatebatur, se ita jurare non posse, ita tamen se ad jurandum paratum esse, quod compenlando, *durch Ab- und Zurechnung*, soluerit. Creditrix W. emtorem E. ad juramentum hoc modo præstandum admittere recusabat, Facultas juridica vero, ubi acta ad eandem pro concipienda sententia transmittebantur, rem ita definiebat mense Septembri MDCCLXVI.

Das gestalten Sachen nach, Beklagter zu Abstattung des ihm deferirten Eydes dergestalt, wie er sich fol. 159. disfalls erkläret, zuzulassen, B. R. W.

Rationes decidendi hæc erant: Ob woll der Eyd in hilse formalibus deferiret worden, daß nemlich Beklagter schweren solle, daß er das in dem Kauff-contract

B

quæ-

quætionis gemeldete pretium der 10000 Rthlr. baar bezahlet, Beklagter aber einräumet, daß er, dergestalt nicht schweren könne, sondern es an dem sey, daß er die beregte summe nicht baar, sondern durch Ab- und Zurechnung und also per breuem manum gezahlet habe, Klägerin auch vornemlich sich darinnen gründet, daß Beklagter bereits vorhin fol. 113. von dieser Abrechnung Meldung gethan, nichtsdestoweniger aber doch das vorige Urtheil per sententiam fol. 148. nochmalts bestätigt worden;

Dennoch aber und dieweil bekandten Rechten nach es auff eines hinaus läufft, ob iemand auch in contractu emtionis - venditionis das versprochene Kaufpretium baar, oder per modum compensationis dem Verkäuffer vergnüget, cum compensare idem sit, ac soluere, hiernächst beklagter bereits wirklich geschworen hat, daß der Kauff quætionis keines weges zu der Zeit geschehen, da die D. nicht mehr soluendo gewesen, Er, Beklagter, auch solches nicht gewußt habe, daher die vermuthete simulation ohnedem hinwegfället, ferner bey dem vorigen Läuterungs - Verfahren über diesen Punct: ob nicht die compensatio instar solutionis & ejus æquipollens sey? nicht hauptsächlich gestritten worden, sondern Beklagter damahlen nur ausführen wollen, daß er nullo modo zu schweren verbunden sey, weshalb dann das letzte Urtheil disfalls als res judicata obtans wieder Beklagten nicht angeführet werden kan; So ist dergestalt zu erkennen gewesen. Hæc sententia vires rei judicatae obtinuit.

§. II.



## §. IIX.

Expositis breuiter illis, quæ ad explicationem rubricæ dissertationis pertinent: nunc ad ipsam rem propius accedimus. Quæstio est: *utrum iuramentum compensationem excludat?* ad statum controuersiæ autem eo melius percipiendum duo casus iterum separandi sunt. Primus est, *si tempore præstiti iuramenti mutuum debitum nondum adfuit*, sed illud postea demum enatum est, secundus vero, *si eo tempore debitum mutuum nondum adfuit.*

## §. IX.

Quod primum casum adinet, DD. a tramite justæ interpretationis non aberrarunt, sed in via regia manserunt, statuentes, licet quis iurejurando interposito promiserit, sese contractum debitum iusto & definito tempore soluere velle, eum tamen nihilominus *compensare* posse, si post interpositum iuramentum demum mutuum debitum natum fuerit, v. ex aliis Lauterbachium in *compend. juris tit. ff. de compensat. pag. 270.* Manet ergo solum secundus casus, quando debitor iurauit, se contractum debitum creditori soluere velle, & tamen ille creditor tempore præstiti iuramenti debitori juranti ex alia causa jam quoque debebat.

## §. X.

Nos existimamus, inter utrumque casum nullam differentiam intercedere, sed debitorem quoque facultate compensandi gaudere, quamuis tempore interpositi iuramenti, expliciti, siue impliciti, (v. §. V & VI.) mutuum debitum jam adfuerit. Adducemus primo euidentiæ fundamenta hujus nostræ sententiæ, & hoc fa-

cto argumenta leuidentia dissentientium quoque recensibimus ac recensita confutabimus.

§. XI.

Primo quidem sententia nostra in diuersis legibus fundamentum habet. Ita Julianus in *l. 2. ff. de compensat. unusquisque creditorem suum, eundemque debitorem, petentem submouet, si paratus est compensare.* Pomponius in *l. 4. ff. qui pot. in pign. ibi: creditumque pensauerit cum pretio rei venditæ: dicendum est, perinde haberi debere, ac si priori creditori pecunia soluta esset. Nec enim interesse, soluerit, an pensauerit.* Paulus in *l. 19. ff. de liberal. caus. ibi: vel compensauit eo nomine, nam & is dedisse intelligendus est.* Eadem verba Pauli habentur etiam in *l. 76. ff. de V. S. dedisse intelligendus est etiam is, qui permutauit, vel compensauit.* Hi textus euidenter disponunt, quod compensatio vice solutionis sit, atque adeo plures adducere necessitas non postulat.

§. XII.

Compensatio itaque est ficta solutio, prout jam ante §. VII. quoque docuimus, & quidem hæc fictio est translatiua de re ad rem, quæ, quod est in una re, in aliam transfert, de qua & aliis fictionum speciebus pluribus agit Hahn. *ad Wesenbec. tit. ff. de probat. num. 15. verb. ad finis præsumptioni est fictio.* Jam vero ex jure notum est, quod fictio in casu ficto idem operetur, quod veritas in casu vero, v. Meu. *conf. 67. num. 95.* fundamentum enim fictionis est æquitas, unde ubi nulla æquitas, ibi quoque nulla fictio datur, Bart. in *l. 15. n. 67. seqq. ff. de usurp. & usucap.* Hahn. *ad Wesenbec. loc. cit.* Ergo, quemadmodum ille jurijurando præstito non contrahent, qui vere soluit: ita nec ille, qui compensat, aut fieste soluit.

§. XIII.

## §. XIII.

Porro, si creditor compensationem admittere recusaret, & veram solutionem urgere vellet: debitor ipsi exceptionem: *sua non interest*, optimo jure opponere posset. Si enim debitor, qui juravit, compensat: creditor nihil accipit. Si vero soluit, creditor quidem physice aliquid accipit; non vero cum effectu civili, quoniam enim mutuum debitum, idque purum, quod ex natura compensationis supponi debet, adest: is, qui paulo ante creditor erat, nunc ut debitor consideratur & pecuniam ipsi solutam mox restituere tenetur. Nihil vero accipere & nihil retinere sine dubio synonyma sunt, & ergo, licet juramentum de soluendo præstitum fuerit, ipsius non interest, siue nihil accipiat, siue nihil retineat.

## §. XIV.

Notum hoc quoque est, quod juramentum naturam actus, cui adjicitur, neutiquam mutet, sed potius illius actus naturam sequatur. Optime Pufendorffius *de f. N. & G. l. 4. c. 2. §. 6.* est autem, inquit, & hoc probe obseruandum, juramenta in se non producere nouam & peculiarem obligationem, sed obligationi in sese validæ velut accessorium quoddam vinculum superuenire. Semper enim, dum juramus, supponimus aliquid quo non præstito diuinam poenam in nos prouocamus. Atqui ineptum hoc esset, nisi illicitum foret non præstare id, quod supponitur, adeoque nisi jam antea obligaremur, conf. etiam illustr. Thomafius *in jurispr. diuin. l. 2. c. 9. §. 24 & 25.* Hæc ita secundum principia sanæ rationis & jus naturale, quod illis principiis superstruitur.

B 3

§. XV.

## §. XV.

Jus Romanum purum & proprie sic dictum, præcipue prout illud in pandectarum voluminibus habemus, eadem principia sequitur, paucissimis casibus exceptis, de quibus Huberus in *prælect.*, ad tit. ff. de jurejur. num. 5. Hinc in l. 95. §. 4. ff. de solut. pactum & jusjurandum æquiparantur, ibi: *justo pacto, vel jurejurando ipso jure tollitur*, juramenti enim delatio & acceptatio nihil aliud, quam species conventionis est, & apud Romanos quidem conventionis nudæ. Eleganter Ulpianus in l. 7. §. 16. ff. de pact. & generaliter, inquit, *quoties pactum a jure communi remotum est, servari hoc non oportet: nec legari: (Haloander legit: nec legatum,) nec jusjurandum de hoc adactum, ne quis agat. servandum, & Marcianus in l. 12. §. 4. ff. de legat. 1. Divi Severus & Antoninus rescripserunt, jusjurandum contra vim legum & auctoritatem juris in testamento scriptum, nullius esse momenti.* Hinc quoque verior eorum sententia est, qui existimant, testamenta conjugum reciproca etiam parte altera inuita & adhuc in viuis existente, vel etiam post alterius conjugis mortem tolli & mutari posse, licet testator jurauerit, se testamentum mutare nolle, v. Viuium, Bachouium, aliosque citatos a Finckelthufio *obs. 90. num. 10.*

## §. XVI.

Equidem in Codiceprehenditur constitutio Imperatoris Friderici in *auth. sacramenta puberum. C. si aduers. vendit.* in qua disponitur, quod sacramenta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis inuiolabiliter custodiri debeant; verum recte obseruat Huberus in *prælect. ff. de minor. num. 10.* hanc rem, siue hanc constitutionem, a disciplina juris antiqui sine dubio

dubio alienam esse, secundum quam jusjurandum non habet majorem vim, quam pactum nudum, neque potest sustinere quidquam jure inualidum nisi quod simplici renunciatione confirmari queat. Scilicet eo tempore, quo hæc constitutio condebatur, crassissimus papatus tenebris suis iamdum omnia obscurauerat, & sic dicta authentica ex eodem fundamento profluxit, quo jus canonicum nititur, de quo deinde dicemus.

## §. XVII.

Ex adductis jam euidenter consequitur, quod, quemadmodum compensatio locum habet, licet quis *promiserit*, se soluere velle: ita quoque eidem locus esse debeat, licet quis *jurauerit*, quod soluere velit. Juramentum enim sequitur naturam actus, cui adjectum est. Non obstat, quod tamen, prout nos ipsi modo diximus, jus Romanum in aliquibus casibus juramento peculiarem effectum tribuat; respondetur enim, ejusmodi dispositiones singulares ad alios casus extendi non posse, quam de quibus expresse loquuntur. At vero nulla lex in toto jure Romano extat, quæ disponat, quod juramentum præstitum compensationem excludat, si quis jurauit, se soluere velle & tempore præstiti juramenti mutuam debitum jam adfuit. Ergo manemus in regula: juramentum naturam actus, cui adjectum, in hac materia non mutare.

## §. XIX.

Obiter hic obseruo, quod Ordines Frisæ contra authenticam sacramenta puberum *l. 1. statut. tit. 7. art. 4. & 5.* statuerint, minores etiam ex contractibus jurejurando interposito firmatis non obligari, simulque Notariis sub poena interdicti officii aliaque arbitraria prohi-

hüberint, ne super ejusmodi juratis contractibus instrumenta conficiant, vel ab ipsis minoribus juramenta exigant. Verba statutorum hæc sunt: *art. 4. Ordonnantie ende Resolutie van den 23. Julii 1588. Sal op alle renuntiatien met eede te dorne by minderjarige geen recht worden gedaan, ten respecte van den eed, wyders dan op andere contracten sonder eede by minderjarige gecelebreerd. art. 5. Nieuwie Ordonnantie. Ende wert den Notarisen verboden eenige contracten von minderjarige met eede te maken, ofste denselven minderjarigen eed aff te nemen, by privatie van haar ampt, ende arbitrale straffe.*

### §. XIX.

Diximus, jus Romanum jurijurando peculiarem effectum non tribuere, nisi in casibus quibusdam singularibus, iisque paucissimis, tales autem dispositiones singulares ad alios casus extendi non posse. At, inquis, jus canonicum generaliter cuilibet iuramento peculiarem effectum tribuit, quo pertinet præcipue textus in *c. quamvis 2. de pact. in 6.* ubi Papa Bonifacius III. hoc modo disponit: *quamvis pactum patri factum a filia, dum nuptui tradebatur, ut dote contenta nullum ad bona paterna regressum haberet, improbet lex civilis: si tamen juramento, non vi, nec dolo præstito, firmatum fuerit ab eadem, omnino servari debet: cum non vergat in æterne salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum.* Respondemus, dispositionem juris canonici, si ita crude & generaliter accipiatur, maxima injustitia & iniquitate laborare, prout Dn. Præses in supra citata disputatione *de genuino intellectu brocardici: omne juramentum servandum esse, &c.* per singulos casus fufe ostendit, jus canonicum vero, quoties a ver-

a verbo diuino & sana ratione recedit, in terris protestantium nec esse receptum, nec recipi potuisse. Deinde vero hoc addimus, jus canonicum hoc casu nobis plane non ob stare. Jus illud dicit: omne iuramentum seruandum esse, quod salua salute æterna seruari potest. Atqui ille, qui compensat, seruat iuramentum præstitum, quia compensare est soluere, & creditoris nihil interest, utrum creditor actu soluat, an vero compenset, prout ostendimus §. XII & XIII. & ergo, qui compensat, facit id, quod canones ab isto exigunt.

## §. XX.

Non inutile erit, nec a scopo plane alienum, si hic simul obseruemus, quam misere & alias doctrina juris canonici in materia de iuramentis cohæreat. Primo recurrit adducta regula: omne iuramentum seruandum esse, quod salua salute æterna seruari potest. At vero in c. 27. X. de iurejur. dicitur, *iuramentum ab episcopo contra utilitatem ecclesiasticam præstitum non esse iuramentum, sed perjurium.* Cur ita? annon etiam hoc iuramentum salua salute æterna seruari potuisset? sine dubio ex principiis juris canonici. Sed hic agebatur de fauore ecclesiæ, siue cleri, ergo aliter disponendum & exceptio statuenda erat. Si dicis: hoc iuramentum vergere in detrimentum alterius; respondeo, ergo Papa regulam ita formare: omne iuramentum seruandum esse, quod non vergit in detrimentum alterius, alteram vero de eo, quod salua salute æterna seruari potest, omittere debuisset, ad quam tamen DD. ubique unice recurrunt. Verum, si ita formasset regulam, integra dispositio juris canonici corruisset. Omne enim iuramentum, quod contra dispositionem legum ciuiliū præstatur, vergit

C

in

in alterius, scilicet Principis, præjudicium, quippe cuius leges eluduntur & evertuntur. Imo, in *cit. c. 27.* juramentum prælitum non vergebat in alterius detrimentum. Ipse enim episcopus, dum adhuc in minoribus ordinibus constitutus esset, una cum reliquis canonicis in ecclesia Tudertina jurauerat, deinde vero, postquam ad episcopatum euectus erat, juramentum feruare nolebat. Hic certe in detrimentum proprium jurauerat, & ergo juramentum salua salute æterna seruari potuisset juxta principia juris canonici.

## §. XXI.

Porro in *c. 25. X. de jurejur.* dicitur, *maritum, si jurauit, quod uxorem ob adulterium accusare nolit, & hæc tamen tale delictum committat, uxorem quidem accusare non posse, denunciationem ecclesiasticam tamen ipsi permissam esse.* Hoc iterum non cohæret cum regula adducta, sed maritus juramentum salua salute æterna seruare potuisset, quia nihil facit, quam quod fauori pro se introducto renunciet. Nec adest detrimentum alterius. Quamuis enim maritus non denunciaret, non tamen alii defuturi sunt, imo magistratus ex officio inquirere potest. Cur ergo Papa denegat facultatem accusandi, permittit vero marito denunciationem ecclesiasticam? respondeo, quia hoc vergit in fauorem cleri & jurisdictionis episcopalis.

## XXII.

Occurrunt adhuc alia. Papa Alexander III in *c. 8. X. de jurejur.* statuit, *juramentum metu extortum seruandum esse, quia non est tutum, quemlibet contra juramentum suum venire, nisi tale sit, quod seruatum vergat in interitum salutis æternæ.* Nec nos, addit Papa, *alicui dare materiam*  
volu-



volumus, veniendi contra juramentum proprium, ne auctores perjurii videamur. Hæc est regula. Mox exceptio subjicitur in fauorem cleri. Verum aliquando in Romana ecclesia a pluribus prædecessoribus nostris factum esse recollitur, quod clerici, qui coacti ministerium ecclesie abjurarunt, de juramento absolutionis beneficium meruerunt, & ad coërendam iniquitatem eorum, qui ecclesiasticos viros ad præstandum illud compulerant, præmissi sunt in eadem ecclesia ministrare. Similis casus habetur in c. 2. X. eod. Peruenit ad nos, Laudicensẽm Episcopum ab Ar. comite rebus suis spoliatum, & jurare compulsum, quod non repeteret sic ablata. Cognita igitur contumelia, valde doluimus: adserentes ipsum episcopum nullius juramenti vinculis super hoc posse constringi: quem tamen absoluimus, quia nefandissima coactione jurauit. Quomodo hæc coherent cum fundamento ante posito? Piura hujus farinae adducere superfedemus.

## §. XXIII.

Porro aperta contradicção juris canonici deprehenditur in eadem materia de juramento vi extorto. In adducto c. 8. X. de jurejur. dicitur, tale juramentum seruari debere, quoniam Papa non vult videri autor perjurii. Sed vero in c. quamuis. 2. de pact. in 6. disponebatur, filiam, quæ hereditati paternæ jurato renunciauerat, juramento contrauenire non posse, sub hac tamen limitatione, modo juramentum illud non vi, nec dolo præstitum fuerit. Ergo, si vis, aut dolus accessit, Papa juramento nullam vim nullumque effectum tribuit, ex quo porro consequitur, quod secundum principia cit. c. 8. Papa autor perjurii fiat.

C 2

§. XXIV.

## §. XXIV.

Probauimus hæctenus thesin nostram, quod nempe iuramentum præstitum compensationem non excludat, quamuis tempore præstiti iuramenti mutuuum debitum jam adfuerit. Restat, ut argumenta secus sentientium quoque recenseamus, eaque breuiter quidem, sed tamen euidenter & perspicue refutemus. Non pauci sunt ex dissentientium numero, Lauterbach enim in *comp. jur. tit. ff. de compensat.* nominat Mæstertium de *compensat. qu. 12.* Merendam *lib. 1. cont. c. 4.* Tuldenum in *C. de compensat. num. 2.* Magonium *decis. Flor. 42. n. 7.* Coarruuiam in *c. quamuis de pact. in 6. part. 2. §. 4. num. 9.* Bachouium *vol. 1. disp. 25. th. u. lit. a.* Lugonem de *J. & J. d. 16. sect. 6. num. 17.* & Seraphinum de *Seraphinis de priuil. juram. priu. 74. n. 38.* quibus adhuc addi potest Cothmannus *conf. 28. num. 374. seqq.* & ex recentioribus Schöpfferus in *synops. jur. tit. ff. de compensat. n. 12.*

## §. XXV.

Ita cateruatim contra nos incedunt DD. sed non despondemus animum, quia armis stramineis solum instructi sunt. Seraphinus de *Seraphinis de priuil. juram. priuil. 74. num. 37. seqq.* argumenta dissentientium latissime recenset & *num. 127.* eorum opinionem tamquam communiorem & tutiorem amplectitur. Videamus ergo, quid argumenta illa in recessu habeant. Primum hoc est *d. num. 37.* Iuramentum obligat quem præcise ad id, quod promisit, ergo, si quis promisit soluere, non potest compensare, quia diuersa sunt & unum non est alterum, in quem finem adlegat *l. si idem 7. C. de codicill. ubi habetur: si idem codicilli, quod testamenta possent, cur diuersum his instrumentis uocabulum mandaretur, que*

us

*vis ac potestas una sociasset?* Quemadmodum vero illa lex ad præsentem quæstionem plane non quadrat: ita etiam ipse Seraphinus putat, ad hoc argumentum facili negotio responderi posse, imo enim, inquit, qui compensat, dicitur solvere, tum quia solutio & compensatio ad paria judicantur, tum etiam, quia qui juravit solvere, nihil aliud juraverit, nisi satisfacere, id est, liberare se ab obligatione, quia solutionis verbum omnem quoque satisfactionem comprehendit. Nec obstat, addit, diversitas nominum, quia regula non procedit, quando unum nomen accipitur tamquam genus, aliud vero tamquam species, quia tunc unum potest in alio contineri & quoad effectum non differre, ut patet in dicto verbo *solutionis*, quod capitur in genere & sub se comprehendit compensationem, quæ species est solutionis, & quando quis juravit solvere, juravit etiam compensare, quia sub illo verbo comprehenditur, ut dictum est. Facit huc ex sententia Seraphini *l. si chorus 79. ff. de legat. 3. l. si causa cognita. 32. C. de transact. & cap. pastoralis. §. item cum tot. de offic. deleg.*

## §. XXVI.

*Secundam* argumentum desumunt ex *c. ad nostram. 7. X. de jurejur.* ubi, ut dicit Seraphinus, apertissime probatur, quod si quis mutuam pecuniam accepit & juravit, se nullam molestiam daturum super rebus pignori datis, donec soluerit, compensationem objicere non potest de fructibus perceptis ex illo pignore, sed solvere compellitur. Cum itaque Pontifex in *d. cap.* vult, quod non possit compensare, manifeste sequitur, juramentum impedire compensationem, quia in specifica forma servari debet. Quid nos de jure canonico in hac materia sentiamus:

C 3

tiamus:

tiamus: de eo jam ex §. XIX. *seqq.* constat, & ergo argumenta ex illo jure desumpta plane non curamus. Interim tamen hoc notamus, veram rationem decidendi in *cii. cap.* hanc esse, quia exceptio compensationis ex capite fructuum perceptorum descendens altioris indaginis & sic illiquida est, liquidi autem cum illiquido nulla est compensatio. Nos semper supponimus, quod in casu a nobis proposito compensationis exceptio liquida sit.

§. XXVII.

*Tertium* argumentum reperitur apud Seraphinum nostrum *num. 70.* quod desumptum est ex *c. debitores. 6. X. de jurejur.* Ut de controuersia eo melius constet, (quamuis alias juris canonici placita non curemus,) integrum textum adponemus: *debitores ad soluendas usuras, in quibus se obligauerant, cogi non debent. Si vero de ipsorum solutione iurauerint, cogendi sunt domino reddere iuramentum. Et cum usurae solute fuerint, creditores ad eas restituendas sunt ecclesiastica seueritate (si necesse fuerit) compellendi.* Hic ne verbum quidem de exceptione compensationis, vel de ejus exclusione propter iuramentum præstitum habetur, nec per consequentiam ille textus ad præsentem statum controuersiae trahi potest, quoniam hoc argumentum a diuersis ad diuersa inuolueret. Ipse Seraphinus huic argumento parum tribuit, atque adeo hunc in modum differit: sed respondetur, quod in *d. c. debitores.* ideo non potest fieri compensatio, sed præcise compellitur ad soluendum, quia nullo modo poterat impleri per æquipollens, ideo mirum non est, si præcise compellitur soluere. Sed, pergat, hæc solutio (dubii) videtur posse moderari, quia satis potuisset intelligi, compensationem fieri ex illo, quod recipiens usuras tenebatur ad il-

illarum restitutionem, unde poterat compensari debitum usurarum soluendarum per jurantem cum credito usurarum earundem restituendarum ex parte illas recipientis, & sic non cogi ad illas soluendum, mediante compensatione de debito presenti ad creditum omnino futurum, arg. text. in *l. actus legitimi. verb. nam si acceptum feratur. de verb. sign.* quatenus ibi acceptilatio fieri potest etiam de debito condicionali, si conditio existat. Ad hanc instantiam ulterius respondet Seraphinus: sed dicendum est, quod ideo compensationi locus esse non potest, quia debitum usurarum restituendarum nullum est, nisi post illarum solutionem, & ideo debitum, quod non est, compensari non potest cum credito, arg. *l. ejus qui in provincia. si cert. pet.*

## §. XXIIIX.

*Quartum argumentum ex c. breui. 17. X. de jurejur. defunctum est, Seraphin. loc. cit. num. 71. Verba illius capituli hæc sunt: breui sciscitatus es questione, utrum ille, qui jura alicujus ecclesie seruare ac pro posse defendere juramento tenetur, si necessitate imminente super hoc sub juramento debito requisitus duserit adpellandum, perjurii reatum incurrat? Respondemus. quod in hoc articulo adpellantem a perjurio talis adpellatio non excusat, imo, (nisi difficultas existat, propter quam requisitus non possit ecclesie subuenire) culpa perjurii potius irritetur. Sed quid istud capitulum ad presentem questionem? nihil certe. Hinc ipse Seraphinus subjungit, ad hoc argumentum responderi posse, quod dicatur obseruari juramentum, etiam compensando, arg. text. in *c. ex parte tua. & in c. ad audientiam. de cler. non resid.* ubi jurans facere residentiam, dicitur residere & satisfacere jura-*

juramento, etiam quando abest pro utilitate suæ ecclesiæ, nam in tali casu reputatur præfens & refidens.

§. XXIX.

*Quintum* argumentum *num. 73.* nemo potest propria autoritate juramentum commutare, etiam in melius. Sed hic ostendit ipse Seraphinus, contrarium in jure canonico statutum esse, quoniam in *c. peruenit ad nos. 3. X. de jurejur.* expresse habetur, *non enim propositum, aut promissum infringit, qui in melius illud commutat.* Posito etiam, quod jus canonicum contrarium disponderet; nostamen talem dispositionem tamquam ineptam & absurdam non curaremus. Imo, juramentum non commutatur, quando is, qui juravit, se solvere velle compensat. Compensatio enim est solutio, & sic utrumque est idem, commutatio autem diuersa supponit.

§. XXX.

*Sextum* argumentum *num. 75.* omne juramentum, quod sine dispendio salutis æternæ seruari potest, seruandum est, etiamsi juranti damnosum existat. Hoc prætensum argumentum jam supra §. XIX. *seqq.* remouimus, atque adeo necessitas non postulat, ut singula hic iterum recoquamus. Qui compensat, ille jurijurando præstito non contrauenit, sed illud omniao seruat.

§. XXXI.

Argumentum *septimum num. 76.* juramentum operatur, ut actus valeat omni meliori modo. Sed vero, inquirunt, soluere melius est, quam compensare, quia plus est in actu vero, quam in ficto, ut in simili dicit. Bartol. *in l. si quis seruo. vers. quero nunquid jus commune. C. de furt.* ergo juramentum debet adimpleri soluendo,  
non

non etiam compensando. Facit, pergunt dissentientes, ad idem, quia id, quod actualiter soluitur, plus valet nomine debitoris, per ea, quæ habentur per glossam & DD. in l. Lucius §. *fn. ad Trebell.* & in l. 2. C. *de rescind. vendit.* & in l. *per diuersas C. mandati.* unde melius implet soluendo, quia plus valet, quam nomen sui debitoris. Elumbe nobis videtur hoc argumentum. Ipsi enim dissentientes concedunt & concedere etiam tenentur, quod debitor, postquam vi præstiti iuramenti soluit, pecuniam solutam statim iterum repetere possit. Ergo perinde est, siue creditor propter compensationem obstantem nihil accipiat, siue accipiat quidem, sed statim acceptum restituere cogatur. Ergo soluere non est melius, quam compensare. Ergo plus non est in actu vero, quam in ficto. Ergo id, quod actualiter soluitur, plus non valet, quam nomen debitoris. Seraphino ipsi adductum argumentum irreleuans videtur, unde ita ad illud respondet *d. num. 76.* Regula, (iuramentum operari, ut actus valeat omni meliori modo,) intelligitur, quando a principio non valet id, quod agitur eo modo, quo contrahentes agere voluerunt: nam tunc actus sustinetur, ut valeat omni alio meliori modo, quo valere potest: sed hic a principio promissio jurata de soluendo valuit, etiam in compensando, cum hoc iurans voluerit & sciuerit, sibi de jure licere: ergo non est necessarium ad solutionem deuenire, cum utrumque in debitoris facultate positum esset, juris interpretatione. Hactenus Seraphinus noster. Quod objectam autoritatem glossæ, Bartoli aliorumque DD. adinet, illa nobis non obstat, cum non autoritatibus, sed rationibus certandum sit. Bona interdum quoque

D

que dormitat glossa, bonusque Bartolus & confortes, & ergo illorum effata tamquam oracula non veneramur, sicubi interdum a tramite iusti & veri recedunt.

### §. XXXII.

*Octavum* argumentum dissentientibus *l. fideicommissa. n. § ult. ff. de leg. 3.* præbet, Seraphin. *num. 76.* Ita vero Ulpianus in dicto textu: *si quis opus facere iussus, paratus sit pecuniam dare reipublicæ, ut ipsa faciat, cum testator per ipsum id fieri voluerit, non audietur, & ita D. Marcus rescripsit.* Argumentum in forma ita sonaret: si is, cui testator injunxit, ut opus faciat, se non potest liberare, licet paratus sit, pecuniam dare reipublicæ, ut ipsa faciat: sequitur exinde, quod nec compensare possit, qui juravit, se solvere velle, & mutuum debitum tempore præstiti juramenti jam adfuit. Scopæ dissolutæ.

### §. XXXIII.

*Nonum* argumentum apud Seraphin. *num. 77. seqq.* hoc est: juramentum est stricti juris. Sed qui jurat solvere; non utique jurat compensare, ergo debet intelligi & interpretari strictè, (est stilus Seraphini,) ut solvat: alias, si compensaret, non proprie & strictè solveret, sed large & improprie. Et ista stricta interpretatio, pergit, ideo faciendâ est, quia est magis tuta & secura respectu animæ ipsius jurantis, quia in dubio pronuncian- dum est contra jurantem propter periculum animæ. Seraphinus ad hoc argumentum ita responderi posse existimat, quod illud solum procedat in foro conscientie, seu quoad forum poenitentiale, in quo in dubio interpretatio contra jurantem fieri debet, secus in foro contentioso, quia interpretatio fit secundum mentem



tem jurantis, quem in casu nostro credendum est ita jurasse, ut voluerit etiam, se posse compensare, prout sibi a jure permittitur. Quod nos adinet, negamus primo, juramentum stricti juris esse, si hæc regula ita crude capitur, ac si regulæ bonæ interpretationis in materia juramentorum locum habere non debeant. Si vero hæc locum inveniunt, prout inuenire debent, compensare idem est quoad effectum, quod soluere. Nec creditori ullum damnum inferitur, siue compensationem solutionem propriam & strictam, siue largam & impropriam voces. Negamus porro, quod interpretatio stricta sit magis tuta & secura respectu animæ ipsius jurantis, quia modo diximus, quod per compensationem nullum præjudicium inferatur creditori. Negamus denique, quod in hac materia interpretatio contra jurantem sit facienda. Interpretatio contra eum fieri debet, qui aliquid singulare præ tendit, non vero contra illum, qui id solummodo præ tendit, quod juris communis est, prout excellentiss. Böhmerus *in pecul. disp. de interpretatione contra eum facienda, qui clarius loqui potuit*, fusius deduxit. At vero debitor, qui post præstitum juramentum de soluendo interpositum compensare vult, illud solum præ tendit, quod juris communis est, jus commune enim sub vocabulo solutionis etiam compensationem complectitur, uti nemo negat; sed vero creditor, qui compensationem admittere non vult, ab hoc jure communi recedit, & aliquid singulare præ tendit. Ergo pro jurante contra creditorem compensationem admittere nolentem interpretatio facienda est.

## § XXXIV.

*Decimum* argumentum *num. 80.* ita sonat: compensatio magis de æquitate, quam stricto jure procedit, ut per eam circuitus euitetur, nam & debitoris interest, potius non soluere, quam solutum repetere. Sed juramentum magis procedit de juris rigore, quia soluitur & postea repetitur, unde jurans soluere, ideo compensat, quia contra rigorem est, & cum iste rigor sit scriptus, id est, expressus per ipsam partium conventionem, per quam promissit soluere, debet præferri æquitati non scriptæ, secundum quam licet compensare. Hic recte responderi posse dicit Seraphinus *p. 82.* quod imo etiam æquitas, quæ in compensando versatur, in jure expressa esse dicatur, quia jus compensationem loco solutionis habendam esse dicit, *l. Julianus. de cond. & demonstr. tot. tit. de compensat.* cum itaque, addit, ista æquitas pariter sit scripta, præferri debet rigori, ut ait Dec. *in l. in omnibus. num. 10. ff. d. R. I.* Puto etiam, ex nullo jure probari posse, quod juramentum regulas æquitatis excludat. Et ridiculum est, debitorem ad illud soluendum cogere velle, quod solutum mox iterum repetere potest.

## § XXXV.

*Undecimum* argumentum est longum quoad verba, breve quoad sensum, *num. 83.* Dispositio hominis, inquit, debet intelligi in casu vero, non autem in casu ficto, *lex eadem parte. §. in insulam. cum ibi not. de verb. obligat. Bald. & Imol. in l. Gallus. §. quid si tantum. de liber. & posthum. Imol. in l. 1. §. lex Falcidia. ad leg. Falcid. & quia actus, qui potest fieri vere & proprie, non fit improprie, & sic fite, *l. in reb. in fm. & ibi Bald. C. de jur. dot. Bart. in l. si is, qui pro emptore de usucap. sequitur Corn. in consil. 322. colum. 2.**

vo-

*volum. 4.* Et ideo, si in contractu fiat a partibus mentio de expensis, debet intelligi de veris expensis, non autem de fictis: ut habetur per Grat. *libr. 1. resp. 108. numer. 5.* sed solutio est actus verus, compensatio est imaginaria solutio, *l. si cum filio & l. 1. de compensat. Capic. decis. 167.* & hinc dicitur donatio improprie, *l. si quis pro uxore. de donat. inter vir. & uxor.* ergo juramentum debet verificari in vera solutione, non in ficta & interpretata, ut per Abb. *in c. ex parte num. 2. de testib. Gozad. in consil. 32. colum. 2. num. 11 & 12 & 15.* ubi dicit, quod quatenus Abb. tenet contrarium, quod immo, scilicet juramentum verificetur in casu ficto, prout inquit secundum eum, *in c. ex parte. de cleric. non residen.* est falsum; vel si verum, non procedit, quando agitur de præjudicio tertii. Responsio ad hoc argumentum facilis est. Falsa scilicet est assertio, quod dispositio hominis uniuersaliter & semper in casu vero, non autem in casu ficto, intelligi debeat. Ipsi dissentientes largiuntur, quod si quis absque juramento promisit, se soluere velle, ille nihilominus compensare possit. At vero & eo casu dispositio hominis adest, & nihilominus ea in casu ficto intelligi potest. Porro concedunt dissentientes, quod, qui iurauit soluere, nihilominus compensare queat, modo debitum mutuum tempore præstiti juramenti nondum adfuerit, sed ex postfacto demum superuenerit. At vero & hoc casu dispositio hominis adest, & hoc non obstante ipsis aduersariis fatentibus, illa in ficto casu omnino intelligi potest. Ut alia taceamus. Miserum sane argumentum est, quod ex *l. ea parte. 12. §. in insulam. 2. ff. de V.O.* desumunt, ibi enim sequens casus proponitur: *in insulam deportato reo promittenti stipulatio ita concepta, cum morieris, dari? non nisi moriente eo committitur.*

Hic nulla generalis regula deprehenditur, sed ex natura rei hoc sequebatur, ad mortem naturalem respiciendum esse, non ad civilem, quia semel deportatus, amplius deportari nequit. Quis vero exinde inferre vellet, quod per præstitum juramentum compensatio excludatur? procederet hoc a diuersissima re ad diuersissimam aliam. Non plane quoque contemnenda est resolutio hujus argumenti, quam Seraphinus adfert *num. 85 seqq.* Respondeo, inquit, compensationem esse fictam solutionem, quantum ad formalitatem actus, sed quantum ad effectum, eam nihil differre a vera solutione. Effectus autem potius adtendi debet, quam sonus verborum, &c.

## §. XXXVI.

*Duodecimum* argumentum *num. 87.* quia sententia & juramentum æquiparantur, condemnatus vero ad factum tenetur præcisè adimplere, nec liberatur, si velit soluere interesse. Connexio argumenti est: si is, qui ad factum obligatus est, non liberatur præstando interesse, sequitur, quod nec ille compensare queat, qui iuravit, se soluere velle. Quæ, qualis, quanta? si hoc procederet, necessario etiam consequeretur, quod nec ille compensare possit, qui absque juramento promissit, se soluere velle, nam & ille ad factum obligatus est. Sed vero hoc ex numero dissentientium nemo statuit, & ergo eorum doctrinæ plane non cohærent. Deinde & hoc obseruandum, quod ille, qui compensat, præcisè adimpleat promissum, quoniam, ut sæpe dictum, compensatio ipsa solutio est.

## §. XXXVII.

Argumentum *decimum tertium num. 88.* compensatio non potest obijci aduersus eum, (silo Seraphini) qui

qui depositum repetit. Ita est. Sed quid inde? ergo, inferre volunt, compensatio etiam non potest ei opponi, qui solutionem ex promissione jurata petit. At nos facili negotio consequentiam hujus majoris negamus. Intuitu depositi singularis legum dispositio adest, jura autem singularia a casu ad casum extendi nec possunt, nec debent.

### §. XXXVIII.

*Decimum quartum argumentum num. 95.* Bartolo suos natales debet. Dixit ille Bartolus in *l. 1. §. & parui. ff. quod vi aut clam*, quod quando statutum mandat, quod contra instrumentum nulla possit opponi exceptio, nisi solutionis, nulla alia poterit opponi, licet sit legitima, quia debemus inhærere statutis, quamvis duris, *l. prospexit. ff. qui & a quib.* quam decisionem Bartoli totus mundus sequitur juxta Alexandrum *consil. 94. colum. 2. vol. 4.* Et quamvis ipse Bartolus loquatur in statuto, idem tamen debere esse dicunt in pacto jurato propter paritatem rationis, cum utrumque stricti juris sit. Quod hoc argumentum adtinet, sola fere Seraphini responsione *num. 96.* contenti esse possumus. Respondet vero succincte & sequestrata autoritate Bartoli. Responderi potest, sunt ejus verba, quod istud dictum Bartoli immo non sit verum: quia statutum mentionem faciens de solutione non excludit compensationem, ut voluit Ang. *in cons. 132.* sequitur Alex. *in consil. 12. col. 5. vol. 2.* Grat. *lib. 1. resp. 121. num. 13.* Guid. Pap. *qu. 209.* & Bauer. *in suo tract. de virt. juram. in effectu 33.* Alias quoque DD. adferunt, quod quando statutum excludit omnes exceptiones, vel etiam, si quis iisdem renunciat, illæ saltem exclusæ censeantur, quæ in continenti probari non possunt

sunt, Brunnem. *proc. civ. c. 16. num. 20.* latius Mynsing.  
cent. 6. obs. 5.

## §. XXXIX.

*Decimum quintum* argumentum *num. 96 & 97.* quia quando dispositio potest ad plura adaptari, debet referri ad illud, quod est potius, vel fortius: quia verba sunt accipienda in potiori significatu, Sign. *conf. 21. col. 3. in pr.* ubi dicitur, quod statutum prohibens alienari immobilia in non-subditum, comprehendit clericos; quia clerici efficacius dicuntur non subditi: adlegat *l. filius §. patri. de don.* & alia, de quibus per eum ibi. Sed cui dubium: potiore esse solutionem, quam compensationem: cum per solutionem fortius & efficacius satisfiat juratæ promissioni? respondemus, hanc rationem, quod per solutionem fortius & efficacius satisfiat juratæ promissioni, petere id, quod in principio est. Sæpissime dictum est, compensationem & solutionem unum esse idemque; ergo neutrum ex illis fortius, aut efficacius, sed utrumque æque forte. Eo quidem casu solutio fortius, aut efficacius quid esset, si creditor pecuniam solutam retineret; sed vero, dum eam acceptam solventi statim iterum restituere tenetur: nulla certe peculiaris efficacia ostendi potest.

## §. XL.

*Decimum sextum* argumentum *n. 98 & 99.* quia cum verbum solutionis possit intelligi naturaliter per actua-lem solutionem, & civiliiter per compensationem, quæ est civilis, & interpretata solutio debet intelligi naturaliter, quia verba potius intelligi debent naturali, quam civili modo, *Grammat. conf. 5. num. 4. in civil.* Respondemus, hæc eadem facilitate negari posse, qua a dissentientibus adstruuntur. Naturalis & civilis solutio  
eun-

eundem habet effectum, & ergo perinde est, siue vocabulum de illa, siue de hac intelligatur.

§. XLI.

*Decimum septimum* argumentum *num. 100.* quia ubi adest juramentum, ibi non habet locum exceptio, dolo facis petere, quod cito restitutus es, per *c. debitores. X. de jurejur.* Resp. hoc præsumum argumentum iterum petitionem principii inuoluere. Ad *c. debitores.* jam supra respondimus sub enarratione argumenti tertii §. XXVII.

§. XLII.

Hæc sunt illa argumenta, quæ a dissentientibus in medium proferuntur, pro stabilienda opinione, quod præstitum juramentum compensationem excludat, si eo tempore, quo juratum, mutuum debitum jam adfuit. Quamuis vero ipse Seraphinus, si non omnia, pleraque tamen insufficientia esse ostendat, & præterea adhuc a *num. 101.* usque ad *num. 127.* octo argumenta pro stabilienda nostra sententia adducat; mirandum tamen est, quod dictus Seraphinus his omnibus non adtentis nihilominus *num. 128.* in castra dissentientium transierit & opinionem eorum tamquam non solum communiorem, sed quoque ut tutiorem amplexus fuerit. Unicum solum fundamentum adducit, quod quidem antea ipse refutauerat, scilicet, quod quamuis æquitas respectu compensationis sit scripta, & similiter rigor respectu juramenti scriptus; tamen quia iste rigor specialiter scriptus reperiatur, & maxime in *c. debitores. de jurejur.* ergo infert, hunc rigorem præferendum esse æquitati in genere scriptæ. Et cum, addit, in materia stricti juris simus, stricta facienda est interpretatio. Nos supra §. XXVII. ostendimus,

E

quod

quod *d. c. debitores* ad præsentem statum controverfiæ plane non quadret, atque porro §. XXXIII. quod argumentum de materia stricti juris nullius valoris fit. Ergo beneuolum lectorem eo remittimus, ac fingula repetere necessitas non postulat. Æquitas etiam in genere scripta, idem operari debet, quod rigor in specie scriptus, cum præterea dissentientes hæctenus ostendere non poterint, ubinam iste rigor in specie scriptus reperiatur.

## §. XLIII.

Non obstante, quod Seraphinus in castra dissentientium discefferit, deinde a *num. 141.* usque ad *num. 161.* tot limitationes dissentientium sententiæ suæ subjungit, ut illa tota euertatur & nostra sententia firma maneat. Quamuis ergo nos satis stabili nostra opinione illorum limitationibus neutiquam alias indigeamus; nihilominus tamen easdem, ut veritas nostræ sententiæ eo magis elucefcatur, hic subjungemus, interim tamen per modum indicis solum.

## §. XLIV.

*Limitatio I.* non procedit opinio dissentientium in *herede ipsius jurantis*, hic ergo compensare poterit. Certe hæc limitatio adeo absurda est, ut ipsi etiam Seraphino displiceat. Si enim verum esset, ipsum jurantem compensare non posse, heres quoque compensare non posset, quippe in quem heres plus juris non transtulit, quam ipse quidem habuit.

## §. XLV.

*Limitatio II.* quando is, qui jurauit, est *valde pauper & grauatus numero filiorum*, tunc non obstante juramento compensare potest. Resp. si verum esset, quod rigor in specie scriptus præualeat æquitati in genere scriptæ,  
nec



nec pauper compensare posset, quia hoc vergeret in dispendium salutis æternæ. *Limitatio III.* quando debitum mutuum *superuenit*, postquam quis jurauit soluere. De hoc casu non disputatur, v. supra §. IX.

## §. XLVI.

*Limitatio IV.* licet quis non possit compensare, nihilominus tamen *retentio* permittitur. Hæc limitatio totam evertit sententiam dissentientium, quod etiam Seraphinus olfecit. *Limitatio V.* licet quis compensare velit, non tamen propterea fit *perjurus*, & sic poenam non incurrit. Hæc limitatio est absurda. Contrauentio juramenti enim nihil aliud est, quam perjurium, quod omnino puniendum, licet eadem poena non obtineat, quæ infligi solet, si quis iuramentum solemne & auisatum, ut vocant, violauit.

## §. XLVII.

*Limitatio VI.* compensationi locus datur, quando quis non jurauit, se soluere, sed ita, *se omnia adtendere & obseruare velle*. Hæc limitatio dubia exinde redditur, quia adducta æquipollere verbo solutionis videntur. *Limitatio VII.* compensatio non obstante iuramento locum habet, quando res agitur inter mercatores. An ergo mercatores de salute æterna solliciti esse non debent? quæ tamen est primaria ratio dissentientium. Vacillant hic dissentientes & cum ipsis Seraphinus, & quo se vertant, nesciunt.

## §. XLIIII.

*Limitatio VIII.* compensari potest non obstante iuramento præstito, quando debitum, de cuius compensatione agitur, pariter juratum est. *Limitatio IX.* opponi potest compensatio, quando contra debitorem agitur, sola fa-

*est veritate inspecta.* Nos putamus, ita semper agendum esse, & per consequens hanc quoque limitationem totam regulam dissentientium absorbere. *Limitatio X.* compensatio admittitur, quando in promissione jurata verbum *soluere* non est expressum, sed *subauditum*. Hæc cum limitatione *VI.* coincidit.

§. XLIX.

*Limitatio XI.* compensare potest debitor, quando confessus fuit debitum ante probationem factam per creditorem. Hæc limitatio iterum totam regulam dissentientium destruit. Debitor enim, quando hunc effectum confessionis nouit, semper confitebitur ante probationem factam per creditorem. *Limitatio XII.* compensationi locus datur non obstante juramento, quando creditoris debitum non est liquidum, & instrumentum laborat aliquibus difficultatibus. Hæc limitatio est superflua, nam quando de compensatione disputamus, an ea locum habeat, annon, semper supponimus, quod debitum sit liquidum. *Limitatio XIII.* eaque ultima eo tendit, quod non obstante juramento debitor compensare possit, quando jurasset, soluere aliquid turpe, veluti simoniam, quia tantum abest, ut prohibeatur compensare, ut nec etiam valeat hujusmodi juramentum, cum non possit feruari sine dispendio salutis æternæ, ex quo continet peccatum, tam ex parte jurantis, quam recipientis.

§. L.

Communem opinionem, quam adferebat Seraphinus, v. supra §. *XLII.* non curamus. Audiamus Andream Gailium *l. 1. obs. 153. num. 6.* de iudice ita loquentem: non tamen, inquit, iudex ita communi opinioni mor-

mordicus inhæreere tenetur, ut ab ea recedere nequeat, si adpareat, communem opinionem esse falsam, vel alias evidentissimis rationibus eam subuerti posse, per text. in l. 1. §. neque C. de veteri jure enucleand. ubi dicitur: *sed neque ex multitudine auctorum, sed quod melius est judicatore, cum possit unius forsitan & deterioris sententia, & multas, & majores in aliqua parte superare.* Addamus Strykium *us. mod. ff. tit. de LL. §. 13.* qui ita: communes errores ex communibus opinionibus oriri, satis notum est; ubi enim DD. de communi testantur opinione, rationum inquisitionem plerumque omittunt, & inde alterum altero sequente in errorum abyffos labuntur. Non male itaque Gabr. Aluar. de Velasc. *Tr. de judice perfect. rubric. 15. annot. 1. n. 52.* tunc sequendam esse communem opinionem, dicit, si illa validis rationibus nitatur. Dissidentium opinionem autem nullis plane rationibus niti, per integram disputationem fufe ostendimus.

## §. LI.

Imo & nostra sententia non est singularis. Eam tueri Bartolum, (sibi tamen ipsi hac parte aduersantem,) Baldum & Joh. Fabrum, testatur ipse Seraphinus *num. 100.* & in additionibus *ad privileg. 74. num. 8.* præterea a Benckendorffio pro eadem adducuntur Surdus, Natta, Angelus, Joh. de Platea, Alexander, Molinæus, Rolandus a Valle, Hipp. de Marfillis, Tindarus, Capicius, Alciatus, ceteri, quorum nonnulli itidem testantur, quod nostra opinio sit communis, imo magis communis. Ergo habes opinionem communem contra communem. Multis etiam sententiam nostram

defendit Jeremias Setferus *de jurament. l. 1. c. 25. num. 103. seqq.* cui junge Wissenbachium *ad ff. disp. 31. th. 4.*

## §. LII.

Quænam nunc sententia in praxi sequenda erit? de hoc quidem nulli dubitamus, judicem religioni Romano-Catholicæ addictum pro sententia dissentientium pronuntiaturum esse, quod compensationi non sit locus, idque propter principia juris canonici: nec forsitan aliqui deerunt ex numero euangelicorum idem facturi & ad numerum dissentientium magis, quam ad veras rationes & regulas interpretandi respicientes; interim tamen hoc certum manet, quod cordatus iudex apud euangelicos rejecta hypothefi juris canonici, cujus absurditatem supra §. XIX. *seqq.* dilucide ostendimus, sit pronuntiaturus: compensationi locum dari, licet debitor jurauerit, se soluturum esse, & tempore præstiti juramenti mutuam debitum jamdum adfuerit. Et huc pertinet, quod Molinæus *de usurar. contract. qu. 43. num. 322.* apud Seraphinum testatur, nostram sententiam communem esse apud Legistas, alteram vero a Canonistis magis receptam.

TANTUM.



CLA-

CLARISSIMO  
DN. CANDIDATO

S. P. D.

PRÆSES.



Eddo Tibi, quam mihi obtulisti disputationem inauguralem de juramento compensationem non excludente, proprio studio a Te conscriptam atque exaſciatam. Pauca sunt, ut vides, quæ mutavi, pauca etiam, quæ adjeci, quibus præjudicium in §. VII. insertum, adcenteri debet, ut adeo hæcce dissertatio nihilominus optimo jure Tua vocari possit. Recte fecisti, quod materiam elegeris, quæ in foro utilitatem habet, eamque ita pertractaueris, ut limites dissertationis non excederet. Recte etiam fecisti, quod non autoritatibus & opinionibus, sed rationibus certaueris & adserta Tua genuinis interpretandi principiis superstruxeris, opinioni enim, licet etiam communis sit, tanta autoritas non est tribuenda,

enda, ut propterea a veritate juris recedi debeat, prout recte judicat Carpzovius, unde DD. in sequenda communi opinione faciles gruibus & ouibus comparat Mundius a Rodach. Si unus volat, omnes volant, & alter alterum bona fide, id est, ex simplicitate propter præjudicium auctoritatis sequitur. Testatur præsens specimen de industria Tua, quam non solum in Fridericiana nostra Professoribus & in specie mihi, sed jam antea quoque in illustri Gymnasio Steinfurtensi consultissimis celeberrimisque Doctoribus Tuis, DN. HOUCKIO & DN. GOELENIO, quos honoris causa nomino, per aliquot annos probasti, & simul sub præsidio modo laudati DN. HOUCKII dissertationem juridicam *de dote reddenda* publice defendisti. Ego certe & de Te, & de plurimis aliis conterraneis Tuis mihi gratulor, qui vitam per otium in hac academia non transegerunt, nec animam pro sale saltem habuerunt, ne putrescerent, sed qui veros & genuinos jurium cultores sese præstiterunt. Reuertere nunc, clarissime DN. CANDIDATE, ad patrios lares & scientia Tua Deo, reipublicæ & proximo inseruire stude. Omnia, ut ex voto Tibi cedant, opto atque vo-ueo. Dabam in academia Fridericiana d, xx. Aug. MDCCXVII.

**Q**uam solers Themidos Leges euolueris omnes,  
Egregium specimen, dulcis Amice, probat.  
In compensando, mutuo si nomina facta,  
Jurisjurandi jura modosque doces.

Quo de non eadem cum sit sententia Doctis;

Est hæc ingenio quæstio digna Tuo.

Improbus iste labor, cum Justinianus honores

Insignes tribuat, præmia quanta feret.

*Hoc*

*quo par fuit, amicitia officio prosequitur  
Nobiliss. Dn. Candidat.*

LAURENTIUS CHRISTOPHORUS  
RITTER,  
J. U. Ddus.

**E**il Dich die Themis ist, mit Lorbeern hat gekrönt,  
So wünsch ich daß Dein Glück mög recht vollkom-  
men seyn.

Es wachse immerfort, es sey stets ausgedehnet,

Es steig den Cedern gleich und sey vom Unglück frey.

Es müsse Glück und Heyl in vollem Wachsthum stehen,

Obgleich der bloße Neid Dich werther Freund bestürmt;

So müsse doch Dein Fuß auff lauter Rosen gehen,

Kurz, es sey Dein Glück dem Himmel gleich gethürmt.

Mit diesen wenigen hat dem Hochgeehrtesten Herren  
Candidaten gratuliren wollen / der sich stets mens  
net ein getreuer Freund!

ARNOLD von HUYSSEN,  
L. L. cultor,

F

Die

**S**ie niemahls müßig seyn, die keine Arbeit spahren,  
 In deren Hertz der Fleiß sich eingesencket hat:  
 Mit solchen muß der Lohn der Mühe sich verpaaren,  
 Und die Vergeltung folgt demselben in der That.  
 Man siehls am Ackermann, der seine Felder bauet,  
 Am Kauffmann der von nichts als von dem handeln weiß:  
 Wie jener recht mit Lust, die reiche Erndte schauet,  
 Und dieser viel gewinnt durch unermüdeten Fleiß.  
 Es pflegt die Muses-Schaar auch jeden zu belohnen,  
 Der ihnen Opffer bringt, der ihnen sich ergiebt,  
 Sie schencken williglich die theuren Weisheits-Cronen,  
 Und schmücken dessen Haupt, der edle Künste liebt.  
 So giebt Iulian auch grosse Ehrenstellen  
 Dem, der in Rechten hat sich fleißig umgesehn:  
 Es muß demselben sich vergnügen zufellen,  
 Sein werther Name muß bey den Beglückten stehn.  
 Du wirst auch Werther Freund bald an den Port gelangen,  
 Nachdem Du grossen Fleiß und Mühe angewandt:  
 Es wird der Doctor-Hut auff deinem Haupte prangen,  
 Dein Name machet sich der klugen Welt bekand.  
 Der Himmel schencke Dir den Gnaden-reichen Segen,  
 Es giesse seine Hand auff Dich des Glückes Thau!  
 Dich führe seine Huld auff Ehr- und Tugend-Wegen,  
 Und mache so Dein Haupt einst mit Vergnügen grau.

Hiemit wolte sich dem Herrn *Candidaten* seinem werthes-  
 ten Freunde und Tischgenossen empfehlen

THEODORUS de HUYSEN,

L. L. S. Essendensis.

**G**ratulor ex animo, *summos dum carpis honores,*  
*Quos tribuunt, ROESINGE, Tibi hæc insignia scripta,*  
*Scripta aliis, queis nomen idem, sed non eadem est mens,*  
*Aut animos factura, aut incussura pudorem.*

Ita *Præstantissimo* Dn. Doctorando applau-  
 dere voluit

H. S. BACKMEISTER,

L. L. C. Aurica Frisd.

Hu-



**H**umanum est: auidé magna sub mole laborum  
Quærere speratos illis imponere fines.  
Nauita sollicitas perpeffus in æquore curas,  
Sic cupit, ut placido tandem per marmora flatu  
Securum in portum sua mæffa carina feratur.  
Quid mirum? pariter post tot, tantosque labores  
Te cupere optatam quoque nunc attingere metam.  
Ergo agedum nitido lux hæc jam fulfit Olympo,  
Qua plenis manibus scandenti pulpita tandem,  
Grata dabit Pallas tibi præmia iuffa laborum;  
Gratulor hinc toto jam peffore feruidus optans,  
Ulteriora Tibi concedat profpera Numen.

WILH. PHILIPP. von FLODROFF,  
Stud. Jur.

**D**ie Themis fabe Dich und wunderte Dein Wesen,  
Appollo sprach zu ihr: Den mustu dir erlesen.  
Denn was nur Klugheit ist, und munter heißen kan,  
Das triffstu ia bey Ihm in reicher Maasse an;  
Gewiß Justinian, der wird sich recht ergehen,  
Wenn du Denselben wirst zu deinen Söhnen setzen.  
Hierauff sprach sie zur Stund: Er sey es in der That;  
Du aber dachst bey Dir: Sieh da des Himmels-Rath,  
Denn Du vor anderen, zu folgen bist verbunden;  
So wende dann die Zeit, und Deine edle Stunden,  
Auff nütze Sachen an, erspare keinen Fleiß,  
Bis daß Du noch einmahl, erlangst den Ehren-Preiß.  
Fürwahr Hoch-Edeler, Dein Zweck hastu erlangt:  
Schau wie der Lorbeer-Krans, umb Deine Scheitel pranget,  
Die Fridriciana Dir anieho zugebracht,  
Was gilts: Atræa hat Dir noch mehr zgedacht.

Mit diesen geringen Zeilen hat bey seinem Hoch-  
wehrtesten Freunde als Der selbe in Doctoreum  
promouirte, seine gehorsamste Schuldigkeit  
ablegen wollen, Dessen ergebenster

WEJARDUS VELSEN,

L. L. Stud. Nord. Friso.

F 2

Mu-

**M**Unera dat messis; TUA nunc Doctissime RÖSING,  
En studii messis, tempore messis adest.  
Semen sparsisti studiosus vere secundum,  
Nam cernis spicas, fructiferumque solum.  
Æstas vera TIBI manet æstas atque manebit,  
Cum TUA rura TIBI munera tanta ferunt;  
En mea mens pariter gratantia vota resoluit,  
Atque TIBI letans expetit omne bonum.  
Vive diu felix! TUA laus maneaturque perennis;  
Sic TIBI Doctoris gloria semper erit.

Nobilissimo nec non doctissimo Dn., Doctotis gra:  
dum ascensuro his paucis apprecari voluit

GERH. BRAWE, Nord. Frif. Or.  
S. S. Th. Stud.

**G**Loria cui comes est, cui dat calcaria virtus:  
Non vult obscuris Ille latere locis;  
Sed talis semper (notum sit nomen in orbe)  
Cogitat atque studet, dum sua vita manet.

Tuque RÖSING felix Aonii fontis Alumne.  
Ostentas, monstras hisce Tuis paginis,  
Hisce Tuis paginis: quod non mediocribus hisce  
Contentus rebus, dum satis ampla petis.  
Gratulor ergo Tibi: Numen Tua cœpta secundet  
Atque Tuis porro rebus adesse velit.

Hisce paucis Dn. Candidato gratulari voluit

I. H. SLUITER,  
S. S. Th. & Ph. Stud. Steinfurto West.



Halle, Diss., 1777 f./ss.

ULB Halle 3  
002 186 926



sb







B.I.G.

Farbkarte #13

*G. 19. num. 11. 211*  
1717 176  
19

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
DE

**JURAMENTO  
COMPENSATIONEM  
NON EXCLUDENTE,**

*J. 42,*

*QUAM,*  
DEO T.O.M. ADNUENTE,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DOMINO CAROLO,**  
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO, CETERA,  
IN ILLUSTRIS ACADEMIA FRIDERICIANA,  
PRÆSIDE

**JACOBO FRIDERICO LUDOVICI,**  
JCTO, POTENTISS. REGIS BORUSS, CONSIL. AULICO  
ET PROF. PUBL. ORDINARIO,  
**PRO LICENTIA,**

Summos in utroque jure honores & privilegia Doctoralia  
rite adipiscendi,

*ad d. Septembr. MDCCXVII. H. L. Q. C.*  
placido eruditorum examini submittit

**GERARDUS RÖSING,**

WEHN. FRIS. OR.

HALAE MAGDEBURGICAE,  
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

